Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1701

Quelle:
Copyright:

Ave mitis imperatrix,
Ave vite reſtauratrix,
Ave potens advocatrix
Ave legis noue latrix &c.

DCCIX.

R. 3127 Codex membraneus lat. Sec. XIV. et XIII. Folior. 186. 4. plurium manibus partim per duas columnas, partim lineis longis, potiſſimum tamen eleganter exaratus, et rubricis diſtinctus hanc Notam praefert: *Iſte liber eſt fratrum carthuſienſium Domus Porte beate Marie virginis in Axpach provincie Auſtrie* (infer.) *fundacionis domini Haydenrici de Meyſsaw ac ſue conthoralis domine Anne de chünring quorum anime requieſcant in pace. Amen.* Eſt vero Compilatio ſequentibus conſtans: I. Expoſitione prolixa *Orationis Dominicae* absque titulo, litera capitali deaurata, ad calcem tamen ita ſubſcripta: *Explicit iſtud opus ſuper Pater noſter per manus fratris Johannis Cutnenſis.* Hunc Librarium potius habeo, quam Autorem Expoſitionis, quae incipit: *Pater noſter qui es in celis. et cetera. Kariſſimi. vos ſcire debetis quod inter omnia opera que poſſunt fieri in hac vita. nullum opus eſt honorabilius nullum leuius nullum vtilius. quam orare Deum* &c. Si tamen *Johannes* ille, vel alius *Bohemus* Autor foret, nihil ad *quartam* Petitionem de Calice, ſed de ſolo Pane euchariſtico.

II. *fol.* 52. *Incipit tractatus Petri bleſen. ſuper Job.* Exemplar perfectius illo, quod jam alio *Cod.* indicavi, non tamen Textu edito in *Opp. omn. Pariſ.* 1667. p. 407. f. Initium: *Heinrico dei gracia illuſtriſſimo anglorum regi* &c. Finis: *altiſſimi filius iheſus chriſtus qui cum patre et ſpiritu ſancto triumphat et regnat* &c.

III. *fol.* 76. p. 2. praemiſſis 7. Verſibus de totidem Virtutibus, qui retro lecti totidem Vitiorum ſenſa exprimunt, et admodum hiulci ſunt, *Incipit forma mundi.* Dicta alias *Imago mundi*, et T. XX. *Biblioth. PP. Lugd.* cum aliis *Honorii Solitarii*, ſeu *Auguſtodunenſis* Operibus p. 966. repraeſentata. Adſcribam tamen hic, quae ibi non reperio. Primum ante *Chriſtiani ad Honorium Epiſtolam* iſtud Praefamen habemus: *Duo ſunt ſibi contraria. ſtatus et motus. Hic liber ſcribitur de mundo. qui loco continetur, per tempus mouetur. Primus liber eſt de loco in quo mundus ſtatuitur. Secundus de tempore per quod uoluitur. Tercius de ſerie generacionum que ſibi locis et temporibus ſuccedunt.* Dein poſt *Honorii Reſponſum* nobis *Honorius inuitat lectorem ad legendum.* Ita quidem: *Rogo autem te lector ſi tamen pre domina inuidia audeas. ne huius opuſculi latorem uilipendas. Ego quippe uigilaui ut tu dormias. ego laboraui ut tu quieſcas. Tuus ſolummodo labor erit, ut per legenda intelligentia implearis, et ſcientia preditus clarus ab omnibus habearis. Si autem quod magis ſpero rabido corde et nebuloſa facie hiſ floſcu-*